

DE ASPHALTO

miramis ædificauit. Haud procul
fontis scaturigine vetustissimum fa-
cellum adhuc extat, parietibus ea ma-
teria compactis, structura tam firmâ
& durâ, vt quouis cemento [arenato,
vel intrita, Germani Pflaster, quasi empla-
strum vocant] validius resistat iniuriæ
temporis, ac hominum. Progressu tē-
poris tum sole resiccatum, tum aquis
verberatum, sic Bitumen coit, vt Pix
videatur, ac tum verum Pissasphaltū
est, nempe concretū Bitumen, quod,
vt Pix, obduruit. Tale Bituminis ap-
pellatione, in Seplasijs nonnunquam
syncerum vānit, at sæpius adultera-
tum. Germanum & legitimum circa
eius fontis margines hinc inde copio-
sum reperitur. Totus circumiectus
tractus graue nescio quid & bitumi-
nosum olet: nec procul disita rupes
est, è qua Petroleum nigrum manat,
vt ideo non abs re quidam existima-
rint eum totum agrum Bitumine sca-
têre. Equi, fontem aut eius riuum præ-
tereun-

Pissasphal-
tum verū
durum.